

25:28
A27D

✠

ORATIO HABITA
LIMÆ
IN

REGIA DIVI MARCI
ACADEMIA
PRO
STUDIORUM INSTAURATIONE
A

D. EMMANUELE CANTON ET
Arche, D. Joannis Borda Nave, Apallasca-
ni Parochi: Synodici Consultoris: Regii
Indorum Gymnasii Rectoris: Humana-
rum Literarum Moderatoris: Rheto-
ricæque Professoris, Alumno.

*III. Idus Apriles Anni M.DCC.
LXXIV.*

LIMÆ: Typis Callis S. Hyacinthi.



ANDEM EVOLUTI
sunt anni Scholastici
dies (Rector facundis-

sime, Doctores disertissimi, Alumni Miner-
væ illustrissimi, cæterique omnium Ordinum
Auditores ornatissimi.) Tandem, inquam,
evoluti sunt anni scholastici dies, qui egre-
gium nobilissimorum hujusce almæ civi-
tatis Limanæ, cæterarumque totius regni
Adolescentum numerum, à quiete ad labo-
rem, à somno ad vigilias, à paternâ domo

A

ad

ad Gymnasia, à nimio colloquio ad solitudinem & studium revocant. Mos est ut singulis annis hoc eodem fermè tempore, Rhetoricæ regulis confectâ oratione, in hac celeberrimâ Academiâ pronuntiandâ, adaperiantur jamdudum clausæ Musarum valvæ, ut Adolescentum animi, nimio jam torpentes otio ad literas incitentur.

Huic ego tantillus Orator, tanto tamque gravi muneri obeundo præfectus & electus sum. Utinam fluidissimâ illâ Demosthenis eloquentiâ vigerem! Utinam Ciceronis elegantiam, facundiam, vimque sermonis in dicendo consequerer, ut tum validâ persuasione, tum etiam verbis circumstantium aures suaviter demulcentibus, omnes puerorum & adolescentum animi libenter ad studium adducerentur.

Quan-

3
Quamquam enim nullo ferè stimulo
indigent plerique juvenes in hac præclaris-
simâ civitate Limanâ nati, suâque sponte in
scientiarum stadio ita properant, ut sæpe
cursum inhibere, & eorum animum im-
modico in studium ardore succensum, tem-
perare necesse sit: illi enim vixdum pue-
riles egressi annos, omnino apparent viri,
omni rationis & virtutis maturitate præ-
diti, ac velut aquila quæ volatu rapido
nubes transcendit, scientias quasilibet, sæpe
etiam absque Magistrorum ope ita avidè
arripiunt, ut indiffusissimâ scientiarum are-
nâ, non indecorum pulverem curriculo
mentis colligant. In literis scilicet omnem
inveniunt animi delectationem, curarum re-
quiem, cæteraque ad benè beatèque viven-
dum necessaria. In omnibus Europæ regio-

4
nibus, vigiliis certè summisque laboribus,
quærentur & expetuntur ab hominibus scien-
tiæ, ut fortuna eos donis suis & honori-
bus cumulet; Limani vero juvenes, solâ
scientiarum rerumque cognitionis capti
dulcedine, omnique remotâ emolument
spe, totos se literis tradunt; nullamque
aliam ex iis utilitatem percipiunt, quam ad-
discendi animumque exornandi voluptatem.

At verò omnes non eodem moventur
stimulo, alios enim pigritia detinet; alios,
ludus; multi deniquè, mente alio distracta,
nobilitatis & officiorum planè obliiti, vitam
in otio mollique torpore transire student;
scientiasque sibi profuturas ita parvi faciunt,
ut omni eorum agendi ratione, animum
à literis aversum significant. Circa eos igitur
nostra versatur oratio: hi sunt qui

stimu-

stimulis, qui validis rationis viribus, qui
exemplis indigent, ut eorum animi igno-
bili segnitie corrupti ad literarum amorem
invitentur. Quantæ enim perniciæ, quan-
toque damno sibi futura sit olim studiorum
negligentia si perpendant, nullus dubitandi
locus est, quin ad bonam frugem se reci-
pientes, studiorumque viam libenter ineuntes,
tote corde literas amplectantur. Novum
igitur cum novo anno studendi animum
capessite Adolescentes nobilissimi: labuntur
enim sæcula, labuntur anni, labuntur dies
& horæ incredibili quâdam celeritate, quæ
rerum humanarum, tum caducitatem, tum
etiam instabilitatem ita demonstrat, ut vix
miseris ævi mortalibus, res ipsas quibus cir-
cumdantur perspiciendi, nedum intus cognos-
cendi tempus concessum sit.

Labuntur quidem sæcula, anni, dies & horæ, sed admirabili Conditoris providentiâ, redeunt iterum sæcula, redeunt anni, redeunt dies & horæ, & eundem ferè prospectum præbent hominibus, quem præbuere tempore præterito; & Campi, quos post anni messem collectam aridos, atque omni prorsus pulchritudine destitutos vidimus, gratâ vice veris adventante, rursus ferè simili, convestiuntur gramine, simili exornantur herbâ virenti, quam tenerum ovium pecus, quam armenta depascant; similibus sternuntur floribus, qui hominum, & oculos, & odoratum, incredibili delectatione demulcent. Arborea denique similibus onerantur fructibus, quorum dulcis, ac conditus naturâ sapor, agricolarum labores amplâ mercede remuneratur. Sin-

gulis annis mutat terra vices, sed eodem ferme modo quo annis jam transactis: eundem sydera cursum repetunt, & omnia naturæ decrescientia, quotannis renovantur, & confirmantur.

At modo longè diverso fluunt hominibus tempora; illis enim cum semel effluxerunt, non amplius revertuntur, nullaque reditûs spes relinquitur: contrà verò, quæque dies in illos ita sævit, tanto eos pondere prægravat, ut non herbarum, non medicamentorum vi ullâ, ad pristinum pueritiæ, vel adolescentiæ tempus revocari possint. Hoc cum sit persuasum omnibus hominibus, neque dubium ullum eâ de re mentibus eorum afferri possit, merito admirandi datur locus, cur veluti fascino-
ne quâdam, atque cupiditatibus vallectis, &

abstracti juvenum animi, in ludis, aliisque nullius momenti exercitationibus, tempus absument: tantoque majori vituperatione dignum hoc vitium est, quod ab ineunte ætate ad summam usque senectutem irrepens, sit ad cateram vitam tot malorum fons, & origo; quæ mala plerumque à nimio parentum erga filios obsequio proficiscuntur. Etenim quæ Mater inveniri poterit, cui natura filium adhuc tenerum, majorem inmodum non commendaverit, quæque Magistrorum minas, vel etiam verbera, ipsa prior non præsentiat, atque pertimescat? Quot causas invicem filius ejus inveniet, ut Materculam jam impenso in se amore præreptam, ad suam voluntatem adducat? Quibus eam blanditiis alliciet, ut sibi ab studiis biduò triduòve vacare permittat, ut genio indul-

gens, totum se ludo atque nugis inanibus
tradat? Adolefcit inter ea blandimenta puer,
& ludos & otium jam à pueritiâ reco-
ctus, sensim ab officio declinat; literarum-
que pertæsus, & consiliorum impatiens, ju-
gum Magistrorum, atque ipsius sape pa-
rentum exuere conatur; solamque sequens
ducem cupidinem, in maxima flagitia bre-
vi tempore abripietur. Hæc omnia Pa-
tresfamilias, Ludimagistros, ceterosque
qui publicæ utilitati erudiendo consulunt,
seriò perpendere necesse est, eosque curam
adhibere decet, ut pueri jam ab initio quam
salubriter instituantur, maturèque intelligant,
quid Deo, quid Parentibus, quid Patriæ,
quid denique sibimetipsis debeant: plurimos
ex illis, publici Juris tutores aliquando futu-
ros esse; alios, Legum arbitros; hos, Patriæ

Patres; illos, Civitatibus & Provinciis Præpositos; cæteros, Reipublicæ præsidia; plurimos, Regni firmamenta; alios denique doctrinâ, & exemplo Religionis ornamenta.

Sentiant denique, quomodò quisque jam ad summum honorum fastigium eventus, munus suum decenter obibit, nisi sedulam jam à pueritiâ operam studiis præstiterit: quanta quemque poenitentia subibit, quòd studiis destinatum, rebus inanibus tempus amiserint! Quomodòve negotia sibi credita juxta prudentiæ leges conficient, qui toto vitæ spatio eas addiscere neglexerint? Hæc vobis, Juvenes ornatissimi, ob oculos proponite diebus ac noctibus discrimina; propè enim tempus adest, cum vos ad conspectum virorum omniscientium, atque virtutum genere ex-

cultorum adductos, pigeat quod rerum
divinarum, & humanarum omnino igna-
ros, hominumque societate parum dignos
dijudicaverint.

Ergo rumpite moras: sitque vobis ad
studium forti, virilique pectore suscipiendum
stimulus, gloria illa indeficiens, & fructus
uberrimi, quos ex constanti, atque improbo
studiorum labore percipietis. Vestrum ad
studia tempus viget, & gratia illa juvenilis,
albaque lilia roseo colore distincta, tantoque
decore uniuscujusque vestrum faciem exor-
nantia, studiorum tempus nondum vobis ef-
fluxisse satis indicant: studia enim, adolescen-
tiam vestram alent, mentesque cæteris om-
nibus relaxationibus magis oblectabunt; ma-
gno Parentibus, nobilitati vestræ, amicis,
vobisque metipsis ornamento erunt, casu-

bus fortunæ adversis, si qui in posterum
eveniant, robur ac solatium præbent:
vestram denique senectutem, siquidem
ventura est senectus, ingenti vigore refi-
cient atque fovebunt. Literas, veras &
unicas hominum divitias esse existimate,
quæ neque furibus, incendiis, naufragio,
neque cuilibet alii fortunæ sorti subjiciuntur.

Exemplum igitur sequimini tot viro-
rum illustrium, qui studiorum curriculo
ritè perfuncti, & in hac celeberrimâ Aca-
demiâ probati, prodire Curia Senatores
integerrimi; Tribunalibus, Patroni facundis-
simi; sacris Pulpitis, Oratores disertissimi;
Antistites, bonis moribus & virtutum
exemplis perspicui; prodire demum Civi-
tatibus & Provinciis Prætores, qui magis
aliorum, quam suæ ipsorum utilitati inser-

vierunt. Sed quid opus est præterita recensere tempora? Nostræ etiâ ætatis Doctores peritissimos perspicere potestis, qui diurno nocturnoque labore, ad scientiarum culmina devenerunt, ideoque meritam omnium hominum existimationem sibi pepererunt. Omnes præterea Europæ regiones circumspicite: quanto in câ quantacumque est, homines addiscendi studio conflagrare videbitis, ut tutum ab errore iter insequentes, optatam sapientiæ sedem contingant! Faverunt omni tempore, nunc quoque favent literis terrarum Reges celeberrimi: illi enim orbem universum ignorantie caligine antea depressum, regiâ liberalitate, meritisque erga sapientes laudibus, ad clarissimam, quâ nunc fruuntur scientiæ lucem eduxerunt: sed qui maxi-

mam inter omnes ad scientias promovenda
 curam adhibuit, elucet præcipuè Invi-
 ctissimus, idemque Augustissimus REX NOS-
 TER CAROLUS III omnigenæ literaturæ
 amantissimus, qui cùm ipse summam ad
 solium attulerit sapientiam, principemque in
 regno, eam quæ decet non posse sine li-
 teris consequi felicitatem existimans, cura-
 vit, ut omnes quibus sapientissimè impe-
 rat populis eadem sapientiâ imbuerentur.
 Quamobrem magnificentissima literis Gym-
 nasia in omnibus Hispaniarum & Indiarum
 regnis, vel excitavit à fundamentis, vel regiâ
 munificentia ampliavit; devictisque igno-
 rantiae monstris horrentibus, quæ jam du-
 dum ferè totam Hispaniam vastabant, cum
 gloriæ splendorem illi attulit, quem orbis
 universi imperia jure meritò invideant.

Ejusque vestigiis tam dignè inhærens clarissimus, idemque vigilantissimus Prorex noster DOMINUS DON EMMANUEL DE AMAT, hanc Academiam, tot viris omni doctrinâ conspicuis refertam, singulis diebus auget atque fovet. Bibliothecam scilicet copiosissimam summæ omnium utilitati instruendam curavit; Rectorem Doctissimum, eundemque meritissimum, huic clarissimæ Universitati præfecit, qui curam gerit, ne quis nisi ritè probatus, planèque Laureâ dignus, in illustrissimorum Doctorum corpus intromittatur; Divi Caroli Convictorium instituit, ubi rerum fontem & originem, historiarum ope diligenter inquirendo, longè solidiori quàm antea fundamento addiscuntur scientiæ, & convictoribus dilucidius explicantur. Humaniorum

10
literarum Præceptores qui in Gymnasio à
se similiter instituto, publicæ inserviant utili-
tati maximè idoneos elegit : ipsosque prima-
rum literarum Magistros, qui in totâ hâc ci-
vitate versantur, de doctrinâ atque moribus,
ut ipsi doceant, examinandos curavit. Deni-
que tanto scientiæ promovendæ accendi-
tur desiderio, ut ad exemplum Regis, Po-
pulos sibi commissos eâdem quâ ipse præs-
tat doctrinâ, non aliter supereminere desi-
deret. Ille enim multorum librorum lectioni-
bus, ingentique labore ab adolescentiâ di-
dicit, nihil esse in vitâ magnoperè expeten-
dum, præter laudem atque scientiam : in
iis autem consequendis, labores summos,
operosas vigilias, mortis etiam pericula
parvi duxit; & ita voti compos factus est,
ut nullus adhuc in Americâ Prorex, pauci

Verò in Europa duces etiam celeberrimi, si veri meriti pretium perpendatur, eam quam PROREX noster consecutus est in imperio laudem, adepti sint: prætermisâ enim quam in Europâ hostes profligando, in Regno Chilensi de populis bene merendo consecutus est, tantam in hac urbe gloriæ segetem collegit, ut quæque die re aliquâ ab illo præclarè gestâ possit annumerari. Etenim ex quo hujusce regni Peruani suscepit gubernaculum, quantum incrementi toti regno additum est! Quam dissimilem agendi rationem, quam dissimilem morum consuetudinem suscepere homines imperio suo addicti! Pervicacibus fræna fuerunt imposita; edomita urbana improbitatis licentia: purgatæ latrociniiis urbes & provinciæ; cumolata in

foro æquitas ; confirmata Magistratibus
atque legibus auctoritas ; extorta à super-
bis debita reverentia ; Pauperes à Proce-
ribus impetiti, quique vanum calamitatibus
auxilium requirebant, exauditi vindicati-
que fuerunt. Denique singula quæque à ratio-
nis limitibus decedentia, locum suum &
debitum ordinem receperunt.

Fidem vestram hîc appello, Limani
Proceres, ut adsitis Judices integerrimi.
Nonne potest nominari nox obscurissima
tempus illud antiquum, cujus tenebræ tan-
tæ erant quantæ concipi possunt in toto
hoc regno longè latèque diffusæ, quæque
omnes Clarissimi nostri PROREGIS adventu,
nitidissimi solis vicem gerentis, omnino
dissipatæ sunt? Illuxit sol ille benignissimus,
& subito res omnes, siye in urbe siye in

Provinciis viguerunt & coaluerunt. Sed plerique assiduitate quotidianâ, & consuetudine oculorum, vel etiam præjudiciis abstracti, fortasse neque admirantur, neque requirunt rationes mutationis tam admirandæ, nil rectum scilicet existimantes, nisi quod ipsorum ingenio conveniat: hos omnes nedum homines censendos esse existimo, cum eo mentis vigore, eâ rerum discretionem careant, quibus homines dignoscuntur.

Si Divino annuente Numine, hujusce Regni PROREGES omnes antiqui è titulo ad vitam excitati, subito in hac urbe Limanâ apparerent, totque rerum à PROREGE nostro gestarum magnitudinem; urbem scilicet penè à fundamentis extructam, & in novas formas omnino mutatam: ædificia

30
in melius restituta; rerum divinarum ma-
jestatem; hominum ipsorum urbanitatem
atque humanitatem; artium vigorem; pu-
blica spectacula; itinerum securitatem; vias
omnes ingressum ad urbem præbentes, per-
petuo antea luto coenoque impervias,
nunc verò æquatas, siccas, & transitu
faciles; consitam arboribus fluminis ripam,
ad urbis ornamentum & Civium animo-
rum relaxationem; Domum exigendis, &
colligendis regiis vectigalibus stabilitam;
Regnum strenuis repletum militibus, qui
ab hostium incursione, si fortè fieri conti-
gerit, tutum efficiant: latas denique In-
sulas, civibus humanis frequentissimas,
PROREGIS nostri curâ, labore, atque diligen-
tiâ recenter adinventas, & absque ullâ sangui-
nis effusione Hispano Imperio adjectas; hæc

omnia

omnia, in quam, si viderent, profectò & admirarentur, atque DUCEM nostrum sibi multò superiorem esse pàlam profiterentur. Quis enim id addubitaverit? Cum illius cæteris præcellens ingenium, divinæ mentis robore confirmatum, difficillima quæque penetret; res arduas, intricatasque mirè distinguat; præsentis æquo trutinæ lance penset; futuras atque remotas prævideat; nullâ rerum multitudine frangatur, neque fatigetur; nullo denique negotiorum pondere prematur; quasque cæteri homines difficultates vocant insuperabiles, nullo negotio explicet atque perficiat. Tot denique supererminent in nostro clarissimo atque invictissimo Duce egregiæ dotes animi, tot rebus præclarè gestis, memoriâque dignissimis quotidie imperium insignit, ut si

II
singulæ mihi vel leviter essent perstringen-
dæ, Orationem hanc longiori quam par-
est tempore producerem, neque eas refe-
rendi finem facerem.

Vos igitur, Adolescentes ornatissi-
mi, qui temporis celeritatem, vitæ brevi-
tatem, studiorum necessitatem in hac Ora-
tione ob oculos habuistis, excutite delicati
pestem otii; otium enim in ligno corrup-
tionem, in ædibus ruinam, in agris sterilita-
tem, in ferro rubiginem generat; damna-
te desidiam, quæ cum sit ignorantia ac
inopiæ Mater, vivos homines sepulturæ
mandat; suscipite dignum nomine vestro
laborem, avidoque addiscendi studio,
Philosophiæ, Theologiæ, Juris utriusque
animosè penetrato limina; devictæque exi-
guo tempore difficultates, ad gloriæ cu-

mulam certè vos adducent. Sed nostri invictissimi PROREGIS exemplum & virtutes imitari præcipuè nitimini, ut dignum studio vestro præmium olim consequi possitis.

Vosque omnes, quibus illius animi fortitudo, vigilantia, urbanitas, prudentia, atque indefessa erga Populos cura perspicuæ notæque sunt, ad sanctissimæ Dei sanctorumque templa, si lubet, mecum procedite; ibique preces ad Deum optimum maximum pro illius incolumitate toto pectore adhibeamus. Longum igitur tibi, nostræque omnium felicitati proget imperium. Vivat nobiscum diu, regnet feliciter hic Patriæ Pater, Civitatis ornamentum, totiusque Regni unica & salus & spes. Denique cum annis & viribus defectus, ad Patriam tranquillæ beatæque vitæ exigen-

dæ causâ , transvehi cupierit , ab Augus-
 tissimo Rege nostro CAROLO benignè
 exceptus, dignam laboribus, quos in Ame-
 ricâ perpessus est , potestatem scilicet illius
 & gloriam ampliando, mercedem accipiat.
 Intercâ, PROREX benignissime, Limanorum
 animi, tot beneficiorum à te susceptorum
 grati memoresque se exhibentes, perpetuos
 tibi decernunt Triumphos , qui ad sæcula
 etiam remotissima, tui nominis rerumque
 gestarum famam protendent; & in lapidibus
 Triviorum & Compitorum urbis hæc car-
 mina inscribenda curabunt.

DUM LIMÆ POPULI, DUM TEMPLA,

DOMUSQUE MANEBUNT,

DUM RAPIDAS RIMAS AD MARE

VOLVET AQUAS,

EXTABUNT OPERUM, JUNIENT, MO-

NUMENTA TUORUM ;

OREQUE CUNCTORUM DULCE SONA-

BIT AMAT.

FINIS.



B774
C2320

551.

EXTABUNT OPERUM, JUNIENT, MO.

NUMENTA TUORUM;

OREQUE CUNCTORUM DULCE TONA-

ET AMAT.

FINIS.



